

hic aliqua de nova *Mola Philosophica* inspersissem, sed non potui compos fieri CL. Joëlis Langellotti Epistolæ, ad Præcellentes Naturæ Curiosos, de quibusdam in Chymia prætermisissis, perscriptæ. Cæterum qui plura de progressibus in Chymia factis scire gestit, evolvat *Morbofium de Transmutatione Metallorum*, qui curioso ejus desiderio non parùm satisfaciet.

(46.) V. *Ejus Nova Experimenta Physico-Mechanica, de vi Aeris elastica, & ejusdem effectibus, Defensionem doctrinæ de Elatere & gravitate aeris adversus Francisci Lini objectiones, item Tractatum de mirâ aeris rarefactione, de duratione virtutis Elasticæ aeris expansi, de Condensatione aeris solo frigore factâ, ejusq; Compressione sine Machinis, & de ejusdem quantitatis Aeris rarefacti & compressi mirè discrepanti Extensione &c.*

(47.) In curiosissima sua *de aëre Dissertat* Kiloni jam aliquoties reculâ.

(48.) Nobilissimus atq; Amplissimus Dn. *Otto Gerike*, Reip. Magdeburgensis Patricius & Consul, primus Experimentorum ac Instrumentorum horum Autor est; qui, anteqvam ob varias occupationes, legationesq; publicas experimenta illa in publicum dare poterat, sæpe jam citato *Gaspari Schotto* facultatem indulfit ea in antecessum divulgandi; id quod hic, cum sub finem *Mechanicæ suæ Hydraulico-Pneumaticæ*, tum sub initium *Mirabilium artis* fideliter executus est.

(49.) Cum ex *Mechanicâ Hydraulico-Pneumaticâ Schotti* didicisset Illustris hic Naturæ Ruspator, *Generosum, & solertis ingenii virum* (verba sunt ipsius *Boyllii* in præm. *Novorum Experimentorum*) *Ottonem Gerikium*, Consulem *Magdeburgensem*, nuper in *Germania vasa vitrea*, aërem per os vasis in aquam immersi exsugendo evacuasse, & ex illo Experimento non parum voluptatis cepisset, quod inde *Aeris externi immensa vis exposita & conspicua magis*, quam in ullo alio Experimento ante à se viso, redderetur, idcirco ipse, lociâ *Hookii* potissimum industriâ usus, aliam *Antliam Pneumaticam à Magdeburgicâ* non nihil differentem construxit, quam & ipse in *Novis Experimentis* suis luculenter descripsit, & *Schottus Lib. 2. Mirab. Artis* breviter & dilucidè exposuit.

(50.) Cum admiranda *Antliarum Pneumaticarum effecta* apud *Schottum, Boyllium* ipsūq; *Gerikium* sæpius legisset *Vir Excellentiss-*

tissi-